



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Alter coniugum catholicus, an obligetur sequi sectarium. tit. 129

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

mus ad malum, & difficiles ad bonum. Vt igitur placeat Deo matrimoniū, exigitur mutuus fidei consensus, Eccles. 25, & vnitas atque dilectio. Orandus igitur Deus est pro bono coniuge, Prouerb. 19.

*ALTER CONIUGUM CATHOLICUS, AN OBLIGETUR SEQUI SECTARIUM.*

## TITVLVS CXXIX.

**T**RIA sunt notanda. Primò, quòd si alter coniugū declinauerit ad sectam reliquus non obligatur illum sequi. Secundò, causa cur non licet. Tertio, periculum animæ.

Primo inquit Apostolus 1. Corinth. 7. In pace vocauit Deus adinuicem, scilicet legitimos: si ergo infidelis discedit, discedat. Non enim seruituti subiectus est frater vel soror in eiusmodi, id est, non obligatur sequi mulier virum sectarium, si discedit ab vnitate catholica. Non ergo potestatem habet vir cogendi vxorem in rebus fidei. Nam anima vxoris non est tradita viro, solus enim Deus & Christus est Dominus animarum, 2. Cori. 11. Desponsauit vos vni viro &c. Potestas ergo viri solùm se extendit ad corpus & corporalia, id est, quæ corpus requirit &c. id est, in lecto, in mensa, in re familiari, in educatione liberorum, in labore &c. De his rebus oportet reddere rationem legitimam ante sedem Christi.

Secunda causa, cur non obligetur alter coniugum sequi sectarium, est: Nam quilibet coniugum ante copulationem, fecit votum Deo in baptismo de fide, scilicet credere in Christum, intra Ecclesiam catholicam: Baptizatus est in vnum corpus, id est, catholicum, 1. Corinth. 12. Accepit eucharistiam in vnitate catholica, 1. Corinth. 10. Vnus panis multi sumus, &c. Credidit vnam Ecclesiam catholicam &c. Hæc præcedunt

cedunt votum matrimonij, & plures sunt, & magis obligant, quæ Deum, & salutem animæ respiciunt, quam copula matrimonij, quæ solum hominæ respicit. Actor. 5. oportet Deo magis & car. Marc. 10. Qui plus diligit patrem & matrem, & car. quam me, non est me dignus. Non ergo sequi obligatur vxor sectarium virum si hic vxor patitur contumelias, plagas, beata est, Matt. 5. quoniam propter iustitiam. Sic plures virgines & mulieres maluerunt occidi, quam sequi infideles, aut sectarios. Notat Eusebius plures, qui nolebant consentire Arrianis, &c. Nec est verum, quod prætendunt, virum oportere reddere rationem coram iudicio Dei, &c. Falsum est. Nam de rebus fidei quisque pro se debet reddere rationem, 2. Cor. 5. sed de alijs rebus corporalibus, quomodo tractasti vxorem, & illi præfuisi, &c.

Tertiò, grande periculum est, dare se extra unitatem catholicam Nam Galat. 5. Apostolus dicit, quod sectæ regnum Dei non possidebunt, & quod omnia opera & sacramenta nihil sunt, non sunt salutaria extra charitatem, 1. Cor. 13. et si obijciunt, fides Christi hic habetur: Respondeo, charitas autem & unitas non habetur, sine qua fides nihil est, 1. Corint. 13. Item non declinamus ab unitate Ecclesiæ, immo nos sumus vera Ecclesia. Respondeo, Capita Ecclesiæ nobis denunciârunt vos esse extra Ecclesiam, & vestra rebellio, odium, detractio probat, ideò quia dictum est Ecclesia. Matt. 18. vos tales esse &c. Ideò non estis Ecclesia. Inquit vxor: timeo plagas, ob id propter pacem sequor. Respondeo, Maior est unitas & concordia Ecclesiæ catholicæ quam viri &c.

DE NATVRALIA C

Christiano matrimonio.

TITVLVS CXXX.

PRIMO